



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Episcoporum Hildesiensium

Letzner, Johannes

Hildesheim, [ca. 1690]

VI. Wigbertus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64252)

nonici cum eximiopietatis fervore, & disciplinæ vigore, Religiosorum instar, summa cum laude vixere. Aliud præterea Monasterium Seligenstadii, & Collegium Virginum in Asnede, seu Essendiæ construxit ac fundavit. Tandemque plenus dierum, operumque bonorum ad Superos abiit Anno 876. 15. Augusti: ejus corpus in templo SS. Cosmæ & Damiani ab ipso condito Essendiæ requiescit miraculis clarum.

V. MARQUARDUS Alfrido successit mirâ morum suavitate, animi candore, & pacis studio conspicuus. Quarto & ultimo Episcopatus sui anno: cum Nortmanni & Dani Religionem à S. Anschario in regnum suum invecram exosi Saxoniam incumberent certi cis & trans Albim omne Christianum nomen excindere; Bruno & Tanquardus Saxonum Duces collegere subjectarum nationum vires, ut vel hostium furorem reprimerent, vel fidem DEO datam vitâ & sanguine consignarent. Convenerunt ad castra Marquardus Hildesienfis Episcopus & Theodoricus Mindensis Episc. Cum aliis primoribus & Capitaneis Saxonum: qui in loco Ebbeckstorff cum hoste congressi, generosè quidem ejus imperus diu retuderunt, sed multitudine tandem obruti, cum Brunone Duce interneccione deleti sunt, & à Majoribus inter Martyres recensiti. Hos inter & Marquardus gloriosè occubuit Anno 880. 2. Februarii.

VI. WIGBERTUS Religionis studio, verbi Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, infirmorum visitatione, animarum, corporumque medicandorum peritiâ, librisque ea de re conscriptis clarissimus. Anno 887. Stephanus VI.
Pon-

Pontifex ad ejus preces Ecclesiam Hildesensem in specialem Sedis Apostolicæ protectionem suscepit. Anno 888. Concilio Moguntino, Anno 892. Arnulfo Regni conventu Francofurtensi & anno 895. Concilio Tiburiensi inter Primarios adfuit. Monasterium Virginum, prope Visurgim in monte, qui dictus est Sanctus, ut earum fortunæ, pudicitia & vitæ consuleret, Hildesim transtulit, & Parthenonem eiusdem construxit, eo ferè loco ubi nunc est curia Episcopalis, in quo sub S. Mariæ Magdalenaë patrocinio Deo fervirent. Exeunte hoc seculo è vivis excessit 1. Novembris in templo S. Cæciliæ humatus.

VII. WALBERTUS Cùm esset religione & sanctitate, omnibusque virtutibus Præsule dignis inclutus, ac fidei propagandæ zelo magnis Germaniæ Apostolis accensendus; ad Insulam Hildesensem translatus; Dominicis Festisque diebus concionandi manus ipse obivit: Horis canonicis, aliisque officiis Divinis semper interfuit: cumque rerum temporalium curâ multum impediretur, omnia bona Ecclesiæ, in tres partes divisit, quarum tertiam Canonicorum sustentationi attribuit: eisq; Bavonem Administratorem sub nomine Præpositi constituit Anno 893. Cui sequentibus annis Cellerarius adjunctus est, qui domi rem familiarem curaret, quemadmodum Præpositus foris. Tandem Walbertus, cum optimè præfuisset Ecclesiæ ad Superos evocatus est Anno 903. 3. Novembris in Cathedrali Ecclesia ante altare S. Cæciliæ sepultus.

VIII. SEHARDUS Ex ordine Religioso ad vitam erectus, multa ad ornatum Summæ Ædis
con-